



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Analysis Methodica Ivris Pontificii**

**Venator, Daniel**

**[S.l.], 1579**

**VD16 V 541**

De Conversione Infidelium. Titulus XXXIII.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63204](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63204)

*vxor religionem profiteatur, c. sanè, extr. eod.*

*Parium, si eadem subsit ratio, eadem est iuris dispositio, sumpto argumento à rationis paritate & similitudine, c. constitutionem, de regula. & transeun. adrelig. in 6.*

## DE CONVERSIONE Infidelium.

### *Titulus XXXIII.*

#### Continuatio.

**C**ontingit quandoq; vt sicuti fideles ad religionem, ita infideles ad fidem conuertantur.

#### *Quis dicitur Infidelis?*

Infidelis dicitur, qui à fide Catholica dissentit. Quicquid enim à fide Christiana discrepat, infidelitatis appellatiõe cõtinetur, & fidei Christianæ contrarium est, arg. 9. 11. 19. & 30. dist. perus.

#### *Quæ causa Efficiens?*

Deus ipse, qui hominem infidelem, ad conuertendum diuinitus impellit, & propria conuertentis voluntas.

#### *Quod Obiectum?*

Fides Christiana, per meritum Christi, hominem conuertentem saluans.

#### *Quæ Forma?*

Vt per regenerationē sacri Baptismi, & fidei Christi, nõ coacta, sed libera volūate conuertentis, &

tis, & impellente diuini Spiritus instinctu, cō-  
uersio fiat.

*Quis Finis & Effectus?*

1. Fruitio æternæ salutis & fœlicitatis: deinde  
quod propriè huius loci est, Diuortium. i. rescif-  
sio matrimonij inter conuertentes consistentis.  
Hic tamen effectus quadam distinctione expli-  
catur. Aut initio matrimonij contracti vterq; cō-  
iugum erat infidelis, aut fidelis: &, matrimonio  
constante, alter lapsus est, in hæresim, vel genti-  
litas errorem. Primo casu: si infidelis non vult  
cohabitare, vel cohabitare quidem, non tamen  
sine contumelia & blasphemia nominis Christi,  
& matrimonium quò ad substantiam dissolui-  
tur: ita, vt coniuge etiam infideli viuente, liceat  
conuerso contrahere. Sic intelligunt Canonistæ  
dictum Pauli 1. ad Corinth. 6. Si infidelis disce-  
dit, discedat, non enim seruituti subiectus ob id  
frater vel soror, c. si infidelis, 28. quæst. 2. Excipi-  
tur vnus casus: Nisi vxor ad fidem Christianam  
conuertatur, viro Iudæo existente. tunc enim,  
quia Iudæi habent Legem & Prophetas, quibus  
muniti animas simpliciū facile fallere possunt,  
licet absq; blasphemia nominis Christi cohabi-  
tare velit vir, non tamen permittitur, c. Iudæi,  
28. quæst. 1. Posteriore casu: si commixione cor-  
porum consummatum sit matrimoniū ipsum,  
per lapsum alterius coniugū in infidelitatem vel  
hæresim, non quò ad substantiam, sed quò ad  
thorum dissoluitur, vt notatur in c. quanto, §. si  
verò alter, extr. de diuortijs.